

## INDEX APPENDICIS

### Litaniæ

	PAG.
Litaniæ de sanctissimo Nomine Jesu . . . . .	(1)
Litaniæ de sacratissimo Corde Jesu . . . . .	(3)
Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg. . . . .	(4)
Litaniæ de S. Joseph . . . . .	(6)

### Preces diversæ

Oratio S. Augustini edita jussu Urbani Papæ VIII . . . . .	(7)
Oratio Clementis Papæ XI . . . . .	(8)
Piæ petitiones S. Augustini . . . . .	(9)
Oratio S. Thomæ Aqu. ad vitam sancte agendam . . . . .	(9)
Oratio proposita a Leone XIII . . . . .	(10)
Oratio „Pietate tua“ . . . . .	(11)
Oratio ad S. Joseph Ecclesiæ universalis Patronum . . . . .	(11)
Oratio S. Thomæ Aqu. ante studium . . . . .	(12)
Oratio ad S. Thomam Scholarum cathol. Patronum . . . . .	(12)
Oratio S. Anselmi ante contionem . . . . .	(13)
Oratio Sacerdotis antequam Confessiones excipiat . . . . .	(13)
Oratio Sacerdotis postquam Confessiones exceperit . . . . .	(13)
Oratio Sacerdotis ante et post ipsius Confessionem . . . . .	(14)
Oratio ad servandam vocationis gratiam . . . . .	(15)
Oratio ad servandam castitatem . . . . .	(15)
Oratio jaculatoria . . . . .	(15)
Formula consecrationis Ssmo Cordi Jesu a Clero recitanda . . . . .	(16)
Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium . . . . .	(16)
Oratio ad impetrandam Africa conversionem . . . . .	(17)
Formula precandi pro aliis . . . . .	(17)
Oratio ad impetrandam bonam mortem . . . . .	(18)
Quinque Puncta ante vel post Communionem utilissime recitanda . . . . .	(18)
Oratio ante Sanctissimum Sacramentum . . . . .	(18)
Formula Absolutionis generalis pro Tertiariis sæcularibus . . . . .	(20)
In Benedictione augustissimi Sacramenti . . . . .	(21)

## PROPRIUM OFFICIORUM

IN USUM.

## DIOECESIS LINCIENSIS

A SACRORUM RITUUM CONGREGATIONE

APPROBATUM

JUXTA QUATUOR BREV. ROM. PARTES

IN QUATUOR FASCICULOS DIVISUM

PARS AUTUMNALIS



LINCII

IN CANCELLARIA EPISCOPALI

TYPIS FR. PUSTET, S. SEDIS APOST. ET S. R. C. TYPOGR., RATISBONÆ

MCMXIV

PROPRIMUM OFFICIORUM  
DIOECESIS LINCIENSIS

**Approbatio**

Concordat cum Originalibus.

Lincii, die 12 Junii 1914

(L. S.)

✠ Rudolphus

**Imprimatur.**

Ratisbonæ, die 15 Junii 1914

Dr. Scheglmann



PROPRIMUM OFFICIORUM  
IN USUM  
DIOECESIS LINCIENSIS

**PARS AUTUMNALIS**

Die 13 Septembris

**Beatæ Notburgæ Virginis**

**Duplex**

**Oratio**

**R**ætende, Domine, fidelibus tuis dexteram cælestis auxilii: ut meritis et exemplo beatæ Notburgæ Virginis te toto corde perquirant; et quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Dóminum.

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

**N**otbúrga virgo piis e paréntibus Rattenbúrgæ ad annum milésimum ducentésimum

sexagésimum quintum in lucem pródiit. Octódecim annos nata a conjugé divitis cujúsdam viri, cui famulabátur, rei prudénter se gessit, ut, annuén-te hero, quæ mensæ supé- rant, paupéribus daret. Hos autem illa nedum férculis, sed cælésti étiam reficiébat doctrina. Hisce dómínis emórtuis succédit filius cum iníqua uxóre, quæ dapum reliquias porcis tradi jubet. Dolet Notbúrga, ac ne egénis desit, eos in platéis conquirít et, quos sibi sexta féria detráxerat, cibos

iisdem dividit. Ejus autem herus, uti fertur, aliquando ipsi obviam factus, quid grémio gestet, aperire jubet. Paret Notbúrga, sed Dei beneficio, sicuti est traditum, cibi in assulas et schídias, vinum in lixiviam commutántur. Rerum sériem edócta dómina eam duris verbis compéllat et a famulátu dimittit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

#### Lectio v

**A**quo ánimo hæc ferens. Notbúrga cuidam rústico in álpi-bus Eben suam locat óperam, eo tamen pacto, ut, quod a labore supérsit, in oratíone tempus impéndat, ac vespertínis horis, quæ dies festos præcedant, ab agéndo cesset. Spondet agricola, sed quodam sábbato eam condícto tårdius ad meténdas fruges impéllit. Ipsa falcem attóllit, ac legítimi pacti cupit árbitram; quæ e manu ávolans, ceu memóriæ próditum, stat péndula in aère. Ut autem cælésti sponso confórmis fieret,

qui ómnibus despéctui fuit, vilíssima quæque amplectebátur. At Deus, qui exáltat húmiles, illá-tam ancillæ suæ injúriam est ultus. Prior enim dómina, quæ eam ejece-rat, non multo post in-tériit, ejúsque vir cala-mitátibus percúsus est ac fratris insidiis. Is igitur áliam ducens uxórem rursus in sui famu-látum Notbúrgam ad-sciscit, data vénia, ut pro sua liberalitáte egé-nis cónsulat. Quod ancilla Dei nedum præstitit, sed étiam utrúmque fratrem brevi reconcilia-vit. Ipsa vero humanas inter vicissitúdes in cælum inténta, accén-sam continuo lámpadem oleúmque gerébat, ut di-vino sponso adventánti statim óbviam iret; rati-ónem quoque, qua hu-mári vellet, hero suo pandébat ingénue.

**R.** Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Proptérea unxit te De-us, Deus tuus, óleo lætítie. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. **Proptérea.**

#### Lectio vi

**I**taque anno circiter mil-lésimo tercentésimo décimo tertio suprémomorbo corrépta est, sac-ris-que mystériis robo-

rata inter ómnium lácri-mas ac páuperum gémitus transivit ad Spon-sum. Ejus votis ánuens herus, exúvias plaustro impóni binósque jungi boves imperat, qui abs-que ductóre digrediántur. Hí, sicuti fama perhibétur, primum ad régiam viam, subínde ad Æni-ri-pam pergunt, ac per dívisas flúminis aquas Notbúrgæ corpus in Ebenénssem montem dé-ferunt. Eo loci tantisper quiescunt, et qui fúne-brem sequebántur pom-pam, præstolari vidén-tur. Mox in prærupta curréntes ante sacéllum sancto Rupérto sacrum virgineas exúvias depó-nunt, quæ statim inibi ad aram tumulátæ sunt. Plúrima referúntur pro-dígia ejúsdem Beátæ ope a Deo patrata. Hinc templum exstrúctum ab ea nuncupátum, hinc ip-sius corpus érutum et antistitis auctoritáte re-cógnitum, elátum ac mu-nífice decorátum. Not-búrga autem nedum Tir-ólis, sed et Bavária, Austriæ, Carniolæ, Istriæ aliarúmque géntium stú-dii et cultus est potíta. Cultum hunc vetustíssimum Pius nonus Pónti-fex Máximus ex sacró-rum Rítuum Congrega-

tiónis cónsul-to ratum há-buit et confirmávit, at-que in ejúsdem Beátæ honórem Officium et Missam celebrári con-céssit.

**R.** Afferéntur Regi vir-gines post eam, próxi-mæ ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exsulta-ti-óne. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.**

**In III Nocturno Homi-lia in Evangél. Símile erit, de Comm. Virg. (120)**

Die 6 Octobris

**S. Adalberonis**

**Episcopi et Confessoris**

**Duplex majus**

**Oratio**

**P**ropitiare, quæsumus Dómine, nobis famulis tuis per beati Adalberonis Episcopi et Confessoris tui mérita gloriósa; ut ejus pia intercessi-óne, ab ómnibus semper protegámur ad-versis. Per Dóminum.

**Et fit Com. S. Brunonis Conf., ut in Breviario hac die.**

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

**S**anctus Adalbéro clara cómitum Lambacén-sium familia ortus, jam

a púero, spretis sáeculi deliéis, ad religiõnis, ac virtútis stúdiũ totum se cõtulit. A piis paréntibus Herbípõli ad altáre sancti Chiliáni Dei servitio addictus, ibidem in schola a Divino Salvatóre nuncupáta litteris imbútus est. Severiõres deinde ut disciplinas hauriret, Lutétiam mittitur, ubi doctrinæ æque ac pietátis fama cláruit, sodálibus usus beátis Gebhárdõ et Altmánnõ, quorum alter póstea Salisbúrgi, alter Passáviæ episcopátum tenuit. Herbípõlim ipse redux eclesiáque canonicátu insignitus, post sancti Brunõnis cognáti sui mortem commúni cleri populíque suffrágio episcopum eligitur.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

#### Lectio v

**H**ujus múnere curam per ómnia, quæ ad Deum et ad hómnes sunt officia, eximia cum laude gessit, pater factus orphanórum, pupillórum defensor, viduárum étiam tutor et solá-

tor páuperum. Strénuus episcopátus júrium vindex, ne tamen ipse a divinis abstraherétur primis causárum eclesiæ suæ instituit advocátum. Quam gravem divíno Júdici officii sui esset reditúrus ratiõnem, assidue cogitábat ac commemoráre vóluit verbis sigillo múnere inscriptis: Christus heri et hódie, ipse et in sáecula. Singulári stúdio disciplinæ eclesiásticæ reformándæ óperam dedit. Reguláris observántiæ rígido exáctor monastérium Schwarzachense, frátribus a celebérissimo sancti Gorgõnii Goriensi cõnõbio accersitis, restaurávit; unde schola nobilium cõndita, plura ália monastéria ad sanctæ régulæ observántiam sunt redúcta. Augéndi divini cultus studiõsus cum ália loca sacra stipéndiis largiter adjúvit, tum in primis in sancti Chiliáni honórem basilicam fúnditus extrúxit ejúsque cultum piis institútis promóvit.

**R.** Põsui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

**I**llústre vero pietátis ejus fuit arguméntum, quod avítum Lambacénsium castéllum, últimus ipse stirpis heres, in cõnõbium conversum, sancti Benedicti filiis in perpétuam possessiõnem trádidit. Erga sanctam matrem Ecclésiã singulárem devotiõnem magna illa constántia osténdit, qua ad óbitum usque contra Henrici quarti impetus pugnávit, mori pótius parátus quam blanditiis régiis obsecundáre. Hinc semel et iterum episcopátu cédere coáctus, vitæ et fortunæ pericúlo sæpius obnoxius, firmiter tamen, cum paucis sanctitáte præstántibus viris, sancto Gregóriõ Pontifici adhæsit, nihil interim mitens labórum, quos pro suárum óvium salúte pastor ipse a sede sua exsulans expénderet. Tandem fere octogenárius anno salútis millésimo nonagesimo ad cælestem pátriam vocátur ab eõdem quo ortus est loco, Lambáci in Austria Superiori. Sacrum ejus corpus ibidem honorífice cõnditum crebris miráculis coruscáre perhibétur.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes

operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Ipse intercedat. **Gloria Patri. Ipse intercedat.**

In III Nocturno Homilia in Evangel. Vigilate, de Communi Conf. Pont. 2 loco. [83]

Pro S. Bruhõne Conf.

#### Lectio ix

**B**runo, Carthusiánæ religionis institutor, Colóniæ Agrippinæ natus est. A pueritia, morum gravitate et solitudinis desiderio præstitit. A paréntibus Lutétiam Parisiórum missus, tantum ibi in philosophiæ ac theologiæ stúdiis profecit, ut doctõris et magistri munus in utrâque facultate sit adéptus, nec multo post, ob egregias ejus virtútes, eclesiæ Rheménsis canonicátu potitus. Ordine Carthusianórum instituto, cum in eo per áliquot annos eremiticam vitam egisset, ab Urbano secúndo, qui ejus discipulus fuerat, Romam accersitur. Ejus consilio ac doctrina Pontifex, in tot illius temporis calamitatibus, per áliquot annos usus est, donec vir Dei, recusato

Rhegiénsi archiepiscopátu, discedéndi facultáte accépta, erémum íterum pétíit, ubi virtútibus ac méritis plenus, obdormívit in Dómino.

Te Deum.

Et fit Commemoratio  
S. Brunonis.

Die 12 Octobris

S. Maximiliani

Episcopi et Martyris  
Patroni principalis Dice-  
cesis

Duplex I classis cum  
Octava communi

Omnia de Communij u-  
nius Martyris, præter se-  
quentia. [28]

Oratio

Deus, qui nos beáti Maximiliáni Mártyris tui atque Pontificis ánnua solemnitate lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalitia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectio-  
nes A Miléto, de eodem  
Communij.

In II Nocturno

Lectio iv

Maximiliánus, Celénæ in Pannónia christiánis ac claris paréntibus natus, ab ineunte ætate in timóre Dei litterarúmque stúdiis edu-

cátus, præcláræ semper índolis et singularis pietátis spécimen præ se tulit. Ánnis adolescéntiæ cum magna vitæ innocéntia et integritate exactis, cum multis præcélleret virtútibus, tamen benignitas in páuperes máxime in eo eníuit, quorum egestati et miseriiis sublevándis sic stúduit, ut opes étiam amplas, a paréntibus sibi relictas, in egéntium usus Christi nómine erogárit. Quod beneficiéndi stúdiúm per omnem vitam insígni cum laude cóluit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. V. Descenditque cum illo in fóveam, et in vinctulis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v

Nec látuit virtútum ejus splendor: vacánte enim episcopátu Laureacénsi communi totiús cleri populique voto, episcopus Laureacénsis, ipso plúrimum sed frustra reluctánte, designá- tur. Quo in múnere talem se caritátis afféctu, humilitáte profúnda, patiéntia, omníque virtú-

tum exercítio exhibuit, qualem dignitátis sanctítúdo postulábat. Ad límina Apostolorum Romam proféctus, accépta a Sixto secúndo benedictióne, ad suos revértitur, ubi in coléndo Dómini agro magnis destúdans labóribus, sanctí- simo vitæ exémplo, et salutáribus mónitis multos ad salutis viam perdúxit.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, \* Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus coronam de lápide pretiósio. Et voluntáte.

Lectio vi

Cum jam per episcopátum suum disseminátæ fidei plantas, incrementum dante Dómino, succrescere cerneret, patriæ in infidelitátis errore adhuc deténtæ misértus, in Pannóniam ejus juvándæ zelo revértitur. Ubi cum in umbra mortis sedéntes prædicádo ad lumen veritátis dirígere conarétur, ab Eulásio præside comprehénsus, ob constantí- simam christiánæ fidei confessiónem cápitis obtruncatióne martyrii glóriam adéptus est. Ejus

sacra ossa Passávii in basilica sancti Stéphanii extra chorum, débito honóre asservántur.

R. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: \* Et coronam pulchritúdi- nis pósuit super caput ejus. V. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et coronam. Gló- ria Patri. Et coronam.

In III Nocturno Homi-  
lia in Evangel. Si quis ve-  
nit ad me, de eodem Com-  
muni 1 loco.

Die 16 Octobris

In Ecclesia Cathedrali

De V die infra Octavam

S. Maximiliani

Semiduplex

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Augustini  
Episcopi

Sermo 50 de Verb. Domini

Pastor bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne bonus pastor? nonne ipse ánimam suam pro óvibus suis pósuit? Quid Paulus? quid céteri Apóstoli? quid eórum témpora consequéntes beáti Episcopi mártires? Quid étiam iste sanctus Maximiliánus? Nonne omnes pastó- res boni, non mercenárii, de quibus dicitur: Amen

dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum quia sánguinem fuderunt, sed quia pro óvibus fuderunt: non enim fuderunt elatióne, sed caritaté.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. V. Descenditque cum illo in fóveam, et in vinctulis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v

Nam et apud hæréticos, qui propter iniquitátes et erróres suos áliquíd molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant: ut hoc pállio dealbáti facilius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte: quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ignibus tradunt, æstimánda sunt sánguinem fudisse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradidero corpus meum, ut ardeam: jam ipsi sunt. Sed vide, quid séquitur: Caritátem autem non há-

beam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passiónem: ecce venitur et ad sánguine effusióne, venitur et ad córporum incensióne: et tamen nihil prodest, quia caritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia: détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei, Dómine, \* Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. Et voluntáte.

Lectio vi

Quale bonum est caritas ista, fratres? quid pretiósius? quid luminósius; quid firmius? quid utilius? quid securius? quómodo autem habet vel exiguam caritátem, qui étiam convictus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem commédans, pastóribus bonis commédans pastóres bonos, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Episcopi, beatúsque Maximiliánus? Omnes hi pastóres

boni: et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus.

R. Stola jucunditátis induit eum Dóminus: \* Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. V. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus: et aqua sapientiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vii Cap. 14, 26-33

In illo témpore: Dixit I Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ

Homilia 37 in Evang.

Relinquat ergo ómnia, qui potest: qui autem potest, qui autem potest, cum adhuc Rex longe est, legatióne mittat, lacrimárum, eleemosynárum, hostiárum múnera ófferat: vult

enim placári précibus qui scit quia portári non possit irátus. Quod adhuc moram facit venire, legatióne pacis sústinet: venisset jam namque, si vellet, et cunctos adversários suos trucidáset.

R. Coróna áurea super caput ejus, \* Expressa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitúdinis. V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. Expressa.

Lectio viii

Sed et quam terribilis veniat, indicat, et tamen ad veniéndum tardat, quia non vult invenire quos púniat: sed reátum nobis contéptus nostri denúntiat, dicens: Sic ergo ómnis est vobis, qui non renúntiat ómnibus quæ pósidet, non potest meus esse discipulus: et tamen sperándæ salutis remédiúm confert: quia qui per iram non potest ferri, per postulátæ pacis vult legatióne placári.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: \* Qui minas júdicium non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsivit, sed ad cæléstia regna per-

vénit. **V.** Justum deduxit  
Dóminus per vias rectas,  
et osténdit illi regnum Dei.  
**Qui.** Glória Patri. **Qui.**

## Lectio ix

**L**aváte ergo, fratres carís-  
simi, lácrimis máculas  
peccatórum, eleemósynis  
térgite, sacris hóstiis ex-  
piáte. Nolíte possidére per  
desidérium, quæ adhuc  
per usum mínime reliquí-  
stis. Spem in solo Red-  
emptóre figíte, ad ætér-  
nam pátriam mente trans-  
íte. Si enim nihil in hoc  
mundo amándo possidé-  
tis, étiam possidéndo cun-  
ta reliquistis. Ipse nobis  
gáudia desideráta concé-  
dat, qui nobis ætérnæ pa-  
cis remédia cóntulit, Je-  
sus Christus Dóminus no-  
ster, qui vivit et regnat  
cum Patre et Spíritu Sanc-  
to in sæcula sæculórum.  
Amen.

**Te** Deum laudámus.

Eadem die 16 Octobris  
In Ecclesiis consecratis,  
excepta Cathedrali

**Dedicatio Ecclesiarum  
consecratarum Diœcesis**

Duplex I classis  
cum Octava communi

**Omnia de Communi De-  
dicationis Ecclesiæ.**

**Oratio** Deus, qui no-  
bis per singulos annos  
hujus sancti templi.

Die 19 Octobris

**In Octava S. Maximiliani  
Episcopi et Martyris**

Duplex majus

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Joánnis  
Chrysóstomi

**De S. Ignat., t. 5 circa med.**

**T**empus animadvertite,  
fratres, quo digni-  
tatem episcopálem be-  
átus Maximiliánus est  
assecútus. Neque enim  
eadem est nunc, quæ  
tunc erat, Ecclesiám gu-  
bernánda conditio: non  
æqualis est labor, viam  
tritam et plane parátam  
post multos ingredi via-  
tóra; atque eam, quæ  
nunc primo secánda est,  
quæque prærupta et sa-  
xósa ferisque plena, nec  
ullum adhuc viatórem  
admisit. Tunc autem,  
quocúmque quis óculos  
vérteret, ubique præci-  
pítia, bátrathra, et bella,  
et pugnae, et pericula:  
imperátora, et reges, et  
pópuli, et civitátes, et  
gentes, et doméstici, et  
aliéni credéntibus insi-  
dias tendébant.

**R.** Honéstum fecit il-  
lum Dóminus, et custo-  
dívit eum ab inimicis, et  
a seductóribus tutávit il-  
lum: \* Et dedit illi clari-  
tátem ætérnam. **V.** De-

scendítque cum illo in  
fóveam, et in vínculis  
non dereliquit eum. **Et.**

Lectio v

**Q**uemádmódo igitur  
gubernatórem ad-  
mirámur, non quod vec-  
tóra possit in portum  
incólumes dúcere, cum  
mare tranquillum est,  
cumque navis fertur ven-  
tis secúndis: sed cum  
insaniénte pélagó, ven-  
tisque sæviéntibus, qui  
in navi sunt inter se dis-  
séntiunt, magna tempe-  
státe intus et foris na-  
vigántes exagítante, na-  
vim tamen potest dirigere  
et conserváre; sic eos,  
qui tunc Ecclesiám regé-  
bant, multo magis quam  
illos, qui eam in præ-  
séntia gubernant, suspi-  
cere debémus et admiri-  
rári, quando multa bella  
intus et foris: quando  
fidei planta imbecillior  
erat adhuc, et diligéntia  
magis indigebat: quando  
velúti modo génitus in-  
fans Ecclesiæ pópulus,  
magnam providéntiam  
atque sapiéntiam animæ,  
a qua nutriendus esset,  
postulábat.

**R.** Desidérium animæ  
ejus tribuísti ei, Dómine,  
\* Et voluntáte labiórnm  
ejus non fraudásti eum.

**V.** Quóniam prævenísti  
eum in benedictionibus  
dulcedinis: posuísti in

cápíte ejus corónam de  
lápidé pretiósó. **Et** vo-  
luntáte.

Lectio vi  
Paulo post.

**V**erum ne totum tem-  
pus in episcopátus  
consideratióne collocá-  
tes, ab iis quæ ad eum,  
ut mártirem spectant,  
enarrándis excludámur;  
age ad illius certámina  
contendámus. Versútus  
enim diábolus, et ad  
struéndas aptus insídias,  
existimábat, si pastóra  
sustulisset, ovília se fá-  
cile directúrum. Sed qui  
comprehéndit astútios in  
eórum astútia, osténdens  
ecclesiás suas non ab ho-  
mínibus gubernári, sed  
eos qui in ipsum cre-  
dunt, semper a se regi;  
id fieri permittébat, ut  
cum cérneret, rectóribus  
sublátis, non tamen re-  
ligiónem deléri, nec veri-  
ritátis prædicatiónm ex-  
stíngui, sed pótius au-  
géri; ex rebus ipsis et  
ipse, et qui ei inservi-  
bant, omnes intellige-  
rent, Christianórum dis-  
ciplínám non ab homíni-  
bus pendére, sed in cæ-  
lis radices ágere, Deúm-  
que esse, qui ubique ec-  
clesiás tuerétur.

**R.** Stola jucunditátis  
induit eum Dóminus:  
Et corónám pulchritúdi-  
nis pósuit super caput

ejus. **V.** Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. **Et coronam. Glória Patri. Et coronam.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

### Lectio vii Cap. 14, 26-33

**I**n illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi

### Epistola 38

**S**umptus ad turrin aedificandam et bellantium valentia decem milium adversus regem qui viginti millia habet, nihil est aliud, quam ut renuntiet unusquisque omnibus quæ sunt ejus. Prælocutio autem superior cum extrema conclusione concordat: in eo enim, quod unusquisque renuntiat omnibus quæ sunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, ad-

huc autem et animam suam. Omnia enim hæc propria ejus sunt, quæ plerumque implicant, et impediunt ad obtinenda, non ista propria temporaliter transitura, sed in æternum mansura communia.

**R.** Corona aurea super caput ejus, \* Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. **V.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **Expressa.**

### Lectio viii

**N**ec succenseant parentes, hoc præcipere Dominum, ut eos odérimus, quando nobis hoc de anima nostra præcipitur. Sicut in hoc præceptum, quo perdere jubemur animam nostram, non ad id valet, ut se quisque interimat, quod inexpressibile nefas est; et tamen valet, ut interimat in se carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita deléctat: ita de parentibus rectissime dicitur, ut, qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbi Dei carnalem af-

fectum eorum, quod et seipsos et eos, quos genuerunt, irritamentis hujus sæculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens et occidens, illud in eis vivere faciat, quo, cum filiis suis temporalibus, parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt.

**R.** Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad glæstia regna pervenit. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei. **Qui. Glória Patri. Qui.**

Pro S. Petro de Alcantara

### Lectio ix

**P**etrus, Alcantaræ in Hispania nobilibus parentibus natus, decimo sexto ætatis anno, ordinem Minorum ingressus, se omnium virtutum, præcipue paupertatis et castitatis exemplar exhibuit, et innumeros, verbi Dei prædicatione, a vitis ad penitentiam traduxit. Primævum sancti Francisci institutum reparare studens, in angustissimo et pauperrimo cœnobio juxta Pedrosam extracto, asperrimum vitæ genus fe-

liciter incepit, quod deinde mirifice propagatum est. Sanctæ Teresie, cujus probaverat spiritum et a qua sanctus vivens passim vocabatur, in promovenda Carmelitarum reformatione adjutor fuit. Contemplationis et miraculorum gratia insignem, dono prophetiæ ac discretionis spirituum imbutum fuisse, èadem sancta Teresia testatur. Denique annum agens sexagesimum tertium, mirabiliter in cælum. Quem beata Teresia mirabili gloria renidentem per visum conspexit.

Te Deum.

Et fit Com. S. Petri Conf. ac (in Ecclesiis consecratis excepta Cathedrali) Octavæ Dedicat. Ecclesie.

Die 21 Octobris

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali  
**De VI die infra Octavam Dedicatiosis**

Semiduplex

Lectiones II et III Nocturni de Communi Dedicat. Ecclesie.

IX Lectio de S. Hilari-  
one Abbate. Et fit Com.  
S. Hilariis Abbatis ac  
Ss. Ursule et Sociarum  
Vv. et Mm. ut in Brevi-  
ario.



Die 22 Octobris

In Ecclesiis consecratis,  
excepta CathedraliDe VII die infra Octavam  
Semiduplex

Lectiones II et III Nocturni de Communi Dedicat. Ecclesiae.

Die 23 Octobris

In Ecclesiis consecratis,  
excepta CathedraliIn Octava Dedicacionis  
Eccles. consecratarum

Duplex majus

Lectiones II et III Nocturni de Communi Dedicat. Ecclesiae.

Die 29 Octobris

S. Valentini

Episcopi et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

Oratio

Propitiare, quæsumus  
Dómine, nobis fá-  
mulis tuis per beáti Va-  
lentíni Confessoris tui  
atque Pontificis mérita  
gloriósa: ut ejus pia in-  
tercessióne, ab ómnibus  
protégamur advérsis. Per  
Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Valentinus vitæ sanc-  
titate insignis, ab  
Océano ad Bátava óp-  
pidum, nunc Passávium  
nuncupátum, venit. Ubi

genti a vero Dei cultu  
aliénæ verbum vitæ præ-  
dicáturus, Romam pétiit,  
ut ad prædicándi munus  
apostólica interveniret  
auctóritas. Revérsus in-  
de, et jussu Pontíficis  
pium opus aggressus,  
ánimas, quarum salutem  
mire sitiébat, assídua  
verbi divini prædicatióne  
Christo lucrári diu  
multúmque conátus est.

R. Inveni David ser-  
vum meum, óleo sancto  
meo unxi eum: \* Man-  
us enim mea auxiliábitur  
ei. V. Nihil proficiet  
inimícus in eo, et filius  
iniquitátis non nocébit  
ei. Manus.

Lectio v

Verum cum semen  
verbi salutiferi vél-  
uti in petram frustra se  
spárgere vidéret, Ro-  
mam rédiit, petens se  
ad álium pópulum fa-  
ciéntem fructum mitti.  
Sed Valentínus a Pon-  
tífice in episcopum cre-  
átus ac, ut Apóstoli  
exémpló adhuc ibídem  
prædicándo oportúne,  
importúne instáret, re-  
missus est, facultáte ei  
data post írritos tandem  
labóres ad álias gentes  
commigrándi. Cum ígi-  
tur sanctus episcopus  
spíritu Dei fervens mú-  
neri suo íterum ardénter  
insisteret, et Bátavos ad

viam veritátis tradúcere  
laboráret, illi, Arianó-  
rum accedénte perfidia,  
hanc prædicándi instán-  
tiam non feréntes, eum  
a finibus suis excédere  
coégerunt.

R. Pósui adjutórium  
super poténtem, et ex-  
altávi eléctum de plebe  
mea: \* Manus enim mea  
auxiliábitur ei. V. Inveni  
David servum meum,  
óleo sancto meo unxi  
eum. Manus.

Lectio vi

Quare vir Dei Rhæ-  
tias péragrans, hó-  
minum salúti, ubique  
prædicándo, quam má-  
ximè studébat. Tandem  
in montána se cóntulit,  
ubi multis pro Christo  
perfúctus labóribus, in-  
gentíque animárum fruc-  
tu reportáto, vitæ suæ  
términum præsciens, be-  
átó fine quíevit, in vita  
et post mortem mirácu-  
lis clarus. Ejus corpus  
in Majénsi castro in Al-  
pibus sepúltum, ad Bá-  
tavam tandem, uti pró-  
priam sedem, unde vi-  
vens exsuláverat, hono-  
rificè translátum est.

R. Iste est, qui ante  
Deum magnas virtútes  
operátus est, et omnis  
terra doctrína ejus re-  
pléta est: \* Ipse inter-  
cédát pro peccátis óm-  
nium populórum. V. Iste

est, qui contémpsit vi-  
tam mundi, et pervénit  
ad cæléstia regna. Ipse  
intercédát. Glória Patri.  
Ipse intercédát.

In III Nocturno Homi-  
lia in Evangelium Homo  
péregre proficiscens, de  
Communi Conf. Pont. 1  
loco. (76)

Die 31 Octobris

S. Wolfgangi

Episcopi et Confessoris

Duplex majus

Oratio

Deus, qui nobis atér-  
næ salútis beátum  
Wolfgángum Episcopum  
ministrum tribuísti: præ-  
sta, quæsumus; ut, quem  
doctórem vitæ habuimus  
in terris, intercessórem  
habére mereámur in cæl-  
lis. Per Dóminum no-  
strum.

In II Nocturno

Lectio iv

Wolfgángus, nóbili in  
Suévía genere pro-  
gnátus, rerum exterárum  
fuit, et sui contémpstor  
egrégius, solum ex ánimo  
Deum quærens: honóres  
amplísimos ab Henrico  
Trevirénsium episcopo si-  
bi oblátos recusávit; il-  
lòque demórtuo, pollici-  
tationibus aliórum con-  
témptis, monásticam tan-  
dem vitam, cujus semper  
desidério flagráverat, est

ampléxus. Sacris ordínibus a beáto Udalrico iniatiátus, cum in Pannóniam prædicándi Evangélii causa se prius contulisset, propter conjunctam in eo exímia cum pietáte prudéntiam, Ottónis imperatóris stúdio, totiúsque cleri et pópuli acclamatióné, ecclésiæ Ratisbonénsi rite præficitur.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**)

#### Lectio v

**S**uscépto episcopátus múnere gregem Dómini verbo pavit et exémplo, sanctissimisque ecclésiám temperávit institútis. Monastério sancti Emmerámi, quod jam diu episcopi administráverant, restitútis provéntibus, magno illius bono insignem virum Romuáldum præpósuit. Sanctimonialium cenóbium, quod ipse fundáverat, tam sancte instituit, ut collápsa in aliis disciplina eo exémplo sit fácele restauráta, novóque pietátis odóre capta Brígida, Bavariæ ducis filia, sponsum Christum secúta, ad sacras se vírgines aggre-

gárit. Bohémis, quo amplióra apud illos fides incrementa cáperet, contémplo suæ ecclésiæ detriménto, rejéctis aliórum consiliis, próprium dari episcopum libentissime permisit.

**R.** Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**)

#### Lectio vi

**E**grégiam viri sanctitátem comprobárunten ergúmeni, et variis languóribus opprésí, quos preca-tiónis sanávit. Divíno afflátus instinctu, sanctum Henricum imperátorem regnáturum, fratrem ipsius Brunónem ad episcopátum promotum iri; e soróribus álteram reginam, abbatissam álteram fore prædixit. Dénique cum viginti et ámplius annis in séduli pastóris múnere peráctis, extrémum sibi diem imminére intelligeret, quæ ex usitáta liberalitáte superérant, per manus páuperum præmisit, sacráque Eucharistiæ viáctico præmunítus, in sancti Othmári æde, uti divínitus ántea futúrum accéperat, sanctíssimam vitam pari morte conclusit, Ra-

tisbónæ in templo sancti Emmerámi sepúltus.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**)

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi. **Conf. Pont. 2 loco.**

IX Lectio de Homilia Vigilæ. Et fit Com. de eadem.

Die 5 Novembris

### Sacrarum Reliquiarum

quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur.

#### Duplex

Capitula, Hymni et reliqua, quæ de Psalterio Feriæ non sunt sumenda, dicuntur de Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

#### Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis et Oct. Omnium Sanctorum.

#### In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánis Damascéni de fide orthodoxa

Lib. 4, cap. 15

#### Lectio iv

**C**hrístus Dóminus Sanctorum reliquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos beneficia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam si aqua in desérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxilla, ad sedándam Samsóni sitim, Deo ita volénte, prosiliit, cur incredibile videátur, ex Mártyrum reliquiis unguéntum suáve scaturire? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

**R.** Sancti, tui, Dómine, mirábele consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis válidis: Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. **V.** Quóniam percurrunt petram, et fluerunt aquæ, et torrentes inundáverunt. Terra.

## Lectio v

**I**n lege quidem, quisquis mórtuum tetigerat, immúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéendi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est: eos qui cum spe resurrectionis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Quanam igitur ratióne, horum ópera dámones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci visum recipiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mæróres, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum? Quid labóris non suscipias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi offerat, et pro te ad eum verba faciát? An non igitur ii honorándi, qui totius géneris humáni patróni sunt; Deoque pro nobis súpplices preces ádhibent?

**R.** Vërbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: \* Ut herédes fierent in domo Dó-

mini. **V.** Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. Ut herédes.

## Lectio vi

**H**onorándi certe: et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, memórias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur: ea útique lætitia, quæ illis arrideat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem servi quoque ipsius oblectántur: quibus autem Deus offénditur, iisdem étiam milites offénduntur. Quocírca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in comptioné quoque, et egenórum miseratióne, quibus et Deus potíssimum colitur, nos qui fideles sumus, colere Sanctos opóret. Státuas eis, et imágines quæ videántur, erigámus: immo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

**R.** Tamquam aurum in fornáce probávit eléctus Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore

erit respectus illórum: \* Quóniam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intelligunt veritatem: et fideles in dilectiône acquiescent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

**In III Nocturno Homilia in Evangel.** Descéndens Jesus, de Comfuni plurim. Mm. 2 loco. (64)

Vesp. a Cap. de sequ. cum Com. præc. et Oct. Omnium Sanctorum.

Die 6 Novembris

**S. Leonardi Confessoris**

Duplex

Oratio

**A**désto, Dómine, supplicatióibus nostris, quas in beáti Leonárdi Confessoris tui solemnitate deférimus: ut, qui nostræ justitiæ fiduciam non habémus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvémur. Per Dóminum.

**In II Nocturno**

Lectio iv

**L**eonárdus genere nóbili ortus in Fráncia, cum puer adhuc esset, a Chlodovéo Francórum rege, e sacro Baptísmi fonte christiáno ritu susceptus, et a beáto Remígio Rheménsi archiepiscopo edóctus, ab ipsa prima ætate virtútum

ómnium sólida fundamenta jecit: nam Dei caritate fervens et próximi dilectiône, mundánis stúdiis renúntians, totum se divino cultui et apostólicæ vitæ consecrávit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritatem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

**V**ix pueritia egréssus, carcerátis visitándis et liberándis sédulam óperam dedit: a rege nempe obtinúerat, ut in víncula conjéctis, quos ipse visitáset, abscedédi libera potéstas fieret. Munificus erat in páuperes, castus, modéstus, rerum cælestium contemplatióni addictus, ab omni ambiónis vítio ita aliénus, ut in aulam a rege accítus, ad episcopátum promovéndus, imparem huic honóri se reputans, humiliórem vitam sibi ducéndam esse dúxerit.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stollam glóriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi

coronavit eum. **V.** In-  
duit eum Dominus lorica-  
cam fidei, et ornavit  
eum. Et ad portas.

## Lectio vi

**I**nde in Aquitaniam per-  
rexit divina revelatio-  
ne admonitus, et tractum  
Bituricensem lustrans,  
regionem illam divini  
verbi predicatione, et  
multis miraculis illustra-  
vit. Cum demum multa  
hominum millia ad Chri-  
sti fidem convertisset, in  
silvam quamdam agri  
Lemovicensis sese abdi-  
dit: ibique extructo in  
honorem Deiparæ Vir-  
ginis monasterio, omnis  
virtutis, ac præcipue car-  
itatis erga carceratos  
officiis, mirisque operi-  
bus clarus obdormivit in  
Domino octavo Idus No-  
vembris.

**R.** Iste homo perfecit  
omnia, quæ locutus est  
ei Deus, et dixit ad eum:  
Ingrédere in requiem  
meam: \* Quia te vidi ju-  
stum coram me ex om-  
nibus gentibus. **V.** Iste  
est, qui contempsit vita-  
m mundi, et pervenit  
ad cælestia regna. Quia.  
Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homi-  
lia in Evangelium Nolite  
timere, de Communi Conf.  
non Pont. 2 loco.

Die 15 Novembris

**S. Leopoldi Marchionis**  
Confessoris, Patroni  
principalis Austriae

Duplex I classis  
cum Octava communi

## In I Vesperis

**Ant. 1** Dominus con-  
frégit in die belli inimí-  
cos Leopóldi.

**Psalmi ut in I Vesperis**  
de Communi Apostolo-  
rum. (3)

**2** Leopóldus confessus  
est in consilio et congre-  
gatione opera Domini.

**3** Disparsit, dedit pau-  
peribus, justitia ejus ma-  
net in sæculum sæculi.

**4** Collocavit Dominus  
Leopóldum cum princi-  
pibus populi sui.

**5** Vota reddidit Leo-  
póldus in conspectu pó-  
puli Austriaci.

**Capit. Prov. 3, 13-15**

**B**eátus homo, qui in-  
venit sapientiam, et  
qui affluit prudentia: mé-  
lior est acquisitio ejus  
negotiatione argénti, et  
auri primi et purissimi  
fructus ejus: pretiosior  
est cunctis opibus, et  
omnia, quæ desiderán-  
tur, huic non valent com-  
parari.

## Hymnus

**A**ustrides gentes pre-  
tiosiore  
Corporis fulgent animi-  
que cultu:

Dúplices flagrant hódie  
Sabæi

Thuris honores.

Cónsonus festo rútilat  
parátus;  
Adfluens ingens pópu-  
lus, poténti

Súpplicans solviti sóliti  
Patróno

Moris honóres.

Dexter, o adsis, Leo-  
pólde, sacris!

Tu Deo certe frúeris, be-  
átus,

Cum tibi multis manife-  
sta sæclis,  
Præmia constant.

**Ast** tuæ casus míse-  
rans acerbos

Austriae, mitis fer opem  
rogánti;

Fac, reos culpæ véniam  
mereri

Túrpius ausis.

Sit salus illi, decus at-  
que virtus,

Qui super cæli sólio co-  
rúscans,

Totius mundi sériem gu-  
bérnat

Trinus et unus.

Amen.

**V.** Magna est glória  
ejus in salutári tuo.

**R.** Glóriam et magnum  
decórem impónes super  
eum.

**Ad Magnif. Ant.** Glo-  
riósus apparuísti inter  
príncipes Austriae, sancte  
Leopólde: ídeo diadéma  
suscepísti de manu Dó-

mini; ora pro nobis ad  
Deum, qui te elégit.

## Oratio

**D**eus, qui beátum Leo-  
póldum a sæculi cu-  
ris ad cælestem glóriam  
traduxísti: concéde, quæ-  
sumus; ita nos per hæc  
temporália pertransíre,  
ut æternæ vitæ consór-  
tia mereámur. Per Dó-  
minum nostrum.

## Ad Matutinum

**Invit.** Adorémus Chri-  
stum, Regem Confessó-  
rum, \* Qui sua inscrú-  
tábili cleméntia pium co-  
ronávit Leopóldum.

**Ps.** Veníte, exsultémus.

## Hymnus

**O** virum cunctos super-  
eminéntem!

Cælitum summos inhi-  
ans favóres,

Vincis occúltos tibi blan-  
diéntis

Dæmonis astus.

**Máximam** temnens hú-  
milis coronam

Cæsaris, soli súperum Pa-  
rénti

Te sacras, cura melióre  
flagrans

Péctore toto.

**Quin,** sciens artis, pó-  
pulo feróci

Prædicas Christum pro-  
bitate morum,

Quæ Dei, non quæ tua  
sunt, tenáci

Péctore volvens.

Sic sibi laudis nihilum  
peroptans,  
Bis truces Hunnos repu-  
lit coactus,  
Atque sic, fretus pietate,  
multos  
Subdidit hostes.

Sit salus illi, decus at-  
que virtus,  
Qui super caeli solio co-  
ruscans

Totius mundi seriem gu-  
bernat

Trinus et unus.  
Amen.

### In I Nocturno

**Ant.** Beatus Leopól-  
dus ab infántia sua viam  
justítiae in lege Dei scru-  
tátus, iter impiórum non  
ámbulans, in timóre illi  
servívit.

### Psalmus 1

**B**eátus vir, qui non  
ábiit in consilio im-  
piórum, et in via pecca-  
tórum non stetit, \* et in  
cáthedra pestiléntiae non  
sedit:

Sed in lege Dómini  
volúntas ejus, \* et in  
lege ejus meditábitur die  
ac nocte.

Et erit tamquam li-  
gnum, quod plantátum  
est secus decúrsus aquá-  
rum, \* quod fructum su-  
um dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non dé-  
fluet: \* et ómnia quæ-  
cúmque fáciat, prospere-  
rábúntur.

Non sic ímpii, non sic:  
\* sed tamquam pulvis,  
quem prójicit ventus a  
fácie terræ.

Ideo non resúrgent ím-  
pii in iudicio: \* neque  
peccatóres in concílio ju-  
stórum.

Quóniam novit Dómi-  
nus viam justórum: \* et  
iter impiórum peribit.

**Ant.** Beátus Leopól-  
dus ab infántia sua viam  
justítiae in lege Dei scru-  
tátus, iter impiórum non  
ámbulans, in timóre illi  
servívit.

**Ant.** Eruditus terréna  
Leopólus judicávit, quia  
Dómino servívit in timóre,  
exsúltans ei, qui sum-  
ma majéstas est, cum  
tremóre.

### Psalmus 2

**Q**uare fremuerunt Gen-  
tes, \* et pópuli me-  
ditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ,  
et príncipes convenérunt  
in unum \* advérsus Dó-  
minum, et advérsus Chri-  
stum ejus.

Dirumpámus víncula  
eórum: \* et projiciámus  
a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in caelis,  
irridébit eos: \* et Dómi-  
nus subsannábit eos.

Tunc loqúetur ad eos  
in ira sua, \* et in furóre  
suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus  
sum Rex ab eo super

Sion montem sanctum  
ejus, \* prædicans præ-  
ceptum ejus.

Dóminus dixit ad me:  
\* Filius meus es tu, ego  
hódie génui te.

Póstula a me, et dabo  
tibi Gentes hereditátem  
tuam, \* et possessiónem  
tuam téminos terræ.

Reges eos in virga fér-  
rea, \* et tamquam vas  
figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intelli-  
gite: \* erudímmini, qui ju-  
dicátiis terram.

Servíte Dómino in ti-  
móre: \* et exsúltate ei  
cum tremóre.

Apprehéndite discipli-  
nam, nequándo irascá-  
tur Dóminus, \* et pereá-  
tis de via justa.

Cum exárserit in brevi  
ira ejus, \* beáti omnes  
qui confidunt in eo.

**Ant.** Eruditus terréna  
Leopólus judicávit, quia  
Dómino servívit in timóre,  
exsúltans ei, qui sum-  
ma majéstas est, cum  
tremóre.

**Ant.** Millia pópuli mul-  
ta non tímuit, quia Dó-  
minum sui córporis cus-  
tódem, et pátriæ defen-  
sórem propítium há-  
buit.

### Psalmus 3

**D**ómine, quid multipli-  
cáti sunt qui tribu-  
lant me? \* multi insúr-  
gant advérsum me.

Multi dicunt ánimæ  
meæ: \* Non est salus  
ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, sus-  
céptor meus es, \* glória  
mea, et exáltans caput  
meum.

Voce mea ad Dómi-  
num clamávi: \* et exau-  
dívit me de monte sanc-  
to suo.

Ego dormívi, et soporá-  
tus sum: \* et exsur-  
réxi, quia Dóminus sus-  
cépit me.

Non tímébo millia pó-  
puli circumdántis me: \*  
exsúrge, Dómine, salvum  
me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussí-  
sti omnes advérsatis  
mihi sine causa: \* den-  
tes peccatórum contri-  
vísti.

Dómini est salus: \* et  
super pópulum tuum be-  
nedíctio tua.

**Ant.** Millia pópuli mul-  
ta non tímuit, quia Dó-  
minum sui córporis cus-  
tódem et pátriæ defen-  
sórem propítium hábuit.

**V.** Amávit eum Dó-  
minus, et ornávit eum.  
**R.** Stolam glóriæ índuit  
eum.

De libro Ecclesiástici  
Lectio I Cap. 31, 8-11

**B**eátus vir, qui invén-  
tus est sine mácula:  
et qui post aurum non  
ábiit, nec sperávit in pe-

cúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábitus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perfectus est, erit illi glória aeterna: qui pótuit transgredi, et non est transgressus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctorum.

**R.** Exsultáte in Rege vestro, o fidéles animae! qui ab aeterno nobis fidum praedestinávit advocátum Leopóldum inclytum: \* Qui talis est pro nobis in caelo, qualis ab ómnibus in terra est cognominátus. **V.** Pius méruit solótenus praedicári, qui nunc ferventissimus interpellátor nequit dubitári. Qui talis.

### Lectio ii

Cap. 32, 18-20, 28; 33, 1-3

**Q**ui timet Dóminum, excipiet doctrinam ejus: et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictionem. Qui quærit legem, replébitur ab ea: et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timet Dóminum, invénient iudicium justum, et justitias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, attendit mandátis, et qui

confidit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occurrunt mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandata et justitias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

**R.** Multum valet deprecátio justí assídua apud Dóminum: \* Oremus ergo omnes, ut per preces Leopóldi véniam obtineámus et grátiam. **V.** Constituit eum dóminum domus suae, et príncipem omnis possessionis suae. Oremus ergo omnes.

### Lectio iii Cap. 34, 14-20

**S**piritus timéntium Deum quæritur, et in respectu illius benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit: quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beata est ánima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitúdo ejus? Oculi Dómini super timéntes eum, protéctor poténtiæ, firmamentum virtútis, tégimen ardóris, et umbráculum meridiáni, deprecátio offénsionis, et

adjutórium casus, exáltans ánimam, et illúminans óculos, dans sanitátem, et vitam, et benedictionem.

**R.** Quamvis forma clarus extra apparuit, intus tamen grátior pietáte fuit: \* Dotátus stola prima, supervestiri cúpiens secúnda. **V.** Stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctorum. Dotátus. Glória Patri. Dotátus.

### In II Nocturno

**Ant.** Mirificávit Dóminus Leopóldum, et exaudivit eum in cubilibus ad se clamántem.

### Psalmus 4

**C**um invocárem, exaudivit me Deus justitiae meae: \* in tribulatione dilatásti mihi.

Miserere mei, \* et exáudi orationem meam.

Filii hóminum, úsquequo gravi corde? \* ut quid diligitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitote quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: \* Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolite peccáre: \* quærdicitis in córdibus vestris, in

cubilibus vestris compungimini.

Sacrificáte sacrificium justitiæ, et speráte in Dómino. \* Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: \* dedisti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui \* multiplicáti sunt.

In pace in idípsum \* dormiam, et requiescam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituísti me.

**Ant.** Mirificávit Dóminus Leopóldum, et exaudivit eum in cubilibus ad se clamántem.

**Ant.** Odívit iniquitátem operántes, scélera abominádo, cum dilectione proximórum.

### Psalmus 5

**V**erba mea áuribus percípe, Dómine, \* intéllege clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, \* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: \* Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et videbo: \* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitabit iuxta te malignus: \* neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: \* perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: \* ego autem in multitudinem misericordiae tuae.

Introibo in domum tuam: \* adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in iustitia tua: \* propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: \* cor eorum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, \* iudica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, \* quoniam irritaverunt te, Domine.

Et laetentur omnes, qui sperant in te, \* in aeternum exsultabunt: et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, \* quoniam tu benedices iusto.

Domine, ut scuto bo-

nae voluntatis tuae \* coronasti nos.

**Ant.** Odivit iniquitatem operantes, scelera abominando, cum dilectione proximorum.

**Ant.** In universa terra admirabile est nomen Domini, qui Leopoldum pietate plenum, gloria et principatus honore coronavit.

#### Psalmus 8

**D**omine, Dominus noster, \* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua, \* super caelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, \* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum: \* lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: \* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus, \* oves et

boves universas: insuper et pecora campi.

Volucres caeli, et pisces maris, \* qui perambulabant semitas maris.

Domine, Dominus noster, \* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

**Ant.** In universa terra admirabile est nomen Domini, qui Leopoldum pietate plenum gloria et principatus honore coronavit.

**V.** Os iusti meditabitur sapientiam. **R.** Et lingua ejus loquetur iudicium.

#### Lectio iv

**L**eopoldus, Austriae princeps, ab insigni in Deum pietate Pius cognominatus, in primo aetatis flore ea virtutis semina concepit, quae annorum progressu in singularem vitae sanctitatem excreverunt. Relucebant in adolescentia cum Dei timore summa vitae integritas, continentia, et humilitas; in proVectiori aetate iustitia, misericordia, sapientia, religionis cultus praecipuus. Patre defuncto, curis licet conjugaliibus, et principatus sollicitudine praepeditus, pietatis et misericordiae munera diligenter obibat:

inopes fovibat, lassos roborabat. Denique inter tot aulae inquinamenta immaculatum se ab hoc saeculo custodiebat.

**R.** Dispertit, dedit pauperibus: \* Iustitia ejus manet in saeculum saeculi. **V.** Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem. Iustitia.

#### Lectio v

**E**cclisiae Romanae Pontifices tanta veneratione prosecutus est, ut ab Innocentio secundo sancti Petri filius meruerit appellari. In clerum virisque religiosos beneficis, duo monasteria celeberrima, Claustroneoburgense, et Sanctae Crucis in valle nemorosa construxit, et amplissime dotavit. Mellicense quoque a se instauratum magnis sumptibus et censibus illustravit. Demum cum annis quadraginta Austriae principatum laudabiliter gubernasset, anno supra millesimum centesimo trigésimo sexto vita sanctissime functus, sacris Ecclesiae Sacramentis munitus, ab hoc mundo ad caelestem gloriam translatus est.

**R.** Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus: \* Et divitias

nihil esse duxi in comparatione illius. **V.** Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis. **Et divitias.**

**Lectio vi**

**E**jus corpus ad Claustrum-Neoburgi conditum innumeris cepit clarere miraculis, quibus Deus tantam viri sanctitatem voluit manifestam. Namque ad ejus invocationem mortui suscitati, caeci illuminati, surdi auditi, muti loquelam, claudi gressum, captivi libertatem, variis morbis oppressi sanitatem sunt consecuti. His clarissimis sanctimoniae documentis rite compertis, Innocentius octavus Sanctorum catalogo eum adscripsit. Ejus sacra ossa e tumulo ab imperatore Maximiliano elevata, in eadem ecclesia honorificentius reposita, debita coluntur veneratione.

**R.** Consummatus in brevi, expleret tempora multa: \* Placita enim erat Deo anima illius. **V.** Propter hoc prope-ravit illum educere de medio iniquitatum. **Placita. Gloria Patri. Placita.**

**In III Nocturno**

**Ant.** Nec dolum linguæ, nec opprobrium con-

tra proximos egit, quia eos amore Dei sicut se ipsum dilexit.

**Psalmus 14**

**D**omine, quis habitabit in tabernaculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, \* et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, \* et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: \* timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit, \* qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, \* non movebitur in æternum.

**Ant.** Nec dolum linguæ, nec opprobrium contra proximos egit, quia eos amore Dei sicut se ipsum dilexit.

**Ant.** Ut clibanum posuit odientes Leopoldum Dominus, sed ei benedictionis et multorum bonorum tribuit decus.

**Psalmus 20**

**D**omine, in virtute tua lætabitur rex: \* et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: \* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: \* posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiisti a te: \* et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: \* gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: \* lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: \* et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: \* dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: \* Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: \* et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: \* cogitaverunt consilia, quæ non poterunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: \* in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua: \* cantabimus et psallemus virtutes tuas.

**Ant.** Ut clibanum posuit odientes Leopoldum Dominus, sed ei benedictionis et multorum bonorum tribuit decus.

**Ant.** Hæc est generatio quærens Deum, ex qua beatus Leopoldus innocens manibus et mundo corde progréditur.

**Psalmus 23**

**D**omini est terra, et plenitudo ejus: \* orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: \* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, \* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: \* et



miseriórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generatio quærentium eum, \* quærentium faciẽm Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introibit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? \* Dóminus fortis et potens: Dóminus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: \* et introibit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? \* Dóminus virtutum ipse est Rex glóriæ.

**Ant.** Hæc est generatio quærens Deum, ex qua beátus Leopóldus innocens má nibus et mundo corde progréditur.

**V.** Lex Dei ejus in corde ipsius. **R.** Et non supplantabuntur gressus ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

**Lectio vii Cap. 19, 12-26**

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homilia sancti Bedæ Venerabilis Presbyteri

**Liber 5 Comment. in Luc. cap. 19**

**H**omo nobilis ille est, cui cæcus supra clamabat: Fili David, miserere mei. Longinqua regio Ecclesia est ex Gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur: Ego autem constitutus sum Rex ab eo, dicitur a Patre: Postula a me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Quæ videlicet hereditas ac possessio bifaria ratione regio longinqua vocatur: vel quia a finibus terræ clamat ad Dóminum, vel quia longe est a peccatoribus salus. Et cum Deus ubique sit præsens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus abest.

**R.** Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis: \* Eris potestatem habens super decem civitates. **V.** Dómine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi. **Eris.**

**Lectio viii**

**V**ocatis autem decem servis suis. Denarius numerus ad legem pertinet propter decalogum. Vocat itaque pa-

terfamilias decem servos, quia eligit discipulos per litteram legis imbutos. Dat illis decem mnas, quia legis dicta spiritaliter intelligenda revelat. Post passionem quippe resurrectionemque suam aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas: Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appenditur: et omnis scripturæ sermo, qui vitæ cælestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

**R.** Gloriosus apparuit inter principes Austriæ, sancte Leopólde; ideo diadema suscepisti de manu Dómini: \* Ora pro nobis ad Deum, qui te talem elégit. **V.** Constituit Leopóldum Dóminus principem et patrónum Austriæ. **Ora.** Glória Patri. **Ora.**

**Lectio ix**  
**N**egotiamini, dum venio. Verba, inquit, legis ac prophetarum mystica interpretatione discussa populis offerte, atque ab eis fidei confessionem morumque probitatem recipite, juxta quod psalmista suis auditoribus præcipit, dicens: Súmite psalmum, et date tympanum, hoc est: lau-

dem prædicationis cordis intentione percipite, et devotionem operis in carnis castigatione adhibete. Tympanum quippe est pellis in ligno extenta; pellis vero in ligno extenta caro est nostra, ad exemplum Dominicæ crucis afflicta.

**Te Deum laudamus.**

**Ad Laudes et per Horas**  
**Ant. 1** Testimonia pii Marchionis \* credibilia facta sunt, quem in ecclesia Dei veneratur longitudo diorum.

**Psalmi de Dominica.**  
**2** Laudemus nomen Dómini, \* quia de domo Austriæ illuxit lumen pietatis, cujus memoria a generatione in generationem permanet.

**3** In matutinis \* Leopóldus meditatus est Deum factorem suum, sciens, quod quærenti regnum Dei reliqua famulantur.

**4** Benedictus es, Dómine, \* in firmamento cæli, qui pium Marchionem ad cælestis fastigii triumphum elegisti.

**5** Reges terræ, \* et principes, et omnes populi laudent Dóminum, qui Leopóldum constituit Austriæ patrónum.

**Capit.** **Prov. 3, 13-15**

**B**eátus homo, qui in-  
venit sapiéntiam, et  
qui affluit prudéntia: mé-  
lior est acquisitio ejus  
negotiatióne argénti et  
auri primi et puríssimi  
fructus ejus: pretiósior  
est cunctis ópibus, et  
omnia, quæ desiderán-  
tur, huic non valent com-  
parári.

### Hymnus

**Q**uis sagax auri núme-  
ret talénta,  
Quæ pios vertit sapiens  
in usus,  
Quasque sanctorum vé-  
teres refécit,  
Struxit et aedes.

**Hinc**, memor voti vé-  
teris, Mariæ  
Virgini sumptu númium  
profúso,  
Claustro-Neubúrgi céle-  
bres ubique  
Cóndidit aedes.

**Signa** patravit número  
stupénda,  
Vinctus implorat série  
malórum  
Sat diu notum sibi mar-  
chiónem  
Astra tenéntem.

**Sit** salus illi, decus at-  
que virtus,  
Qui super cæli sólio co-  
rúscans  
Totius mundi sériem gu-  
bérnat  
Trinus et unus.  
Amen.

**V.** Magna est glória ejus  
in salutári tuo. **R.** Glóri-  
am et magnum decórem  
impónes super eum.

**Ad Bened. Ant.** Virum  
insígnem pietatèque lau-  
dábilem, sanctum Leo-  
póldum, Dóminus respé-  
xit, quem crebra post  
mirácula divína justítia  
ad æthera vexit.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Leo-  
póldum a sæculi cur-  
ris ad cæléstem glóriam  
traduxisti: concéde, quæ-  
sumus; ita nos per hæc  
temporália pertransire, ut  
ætérnæ vitæ consórtia  
mereámur. Per Dómi-  
num nostrum.

**Et fit Com. S. Gertru-  
dis Virginis:**

**Ant.** Simile est regnum  
cælórum hómini nego-  
tiatóri quærénti bonas  
margaritas; invénta una  
pretiósá, dedit ómnia sua,  
et comparávit eam.

**V.** Diffúsa est grátia  
in lábiis tuis. **R.** Prop-  
téræa benedíxit te Deus  
in ætérnum.

### Oratio

**D**eus, qui in corde  
beátæ Gertrúdis Vir-  
ginis jucúdam tibi man-  
sióne preparásti: ip-  
sius méritis et interes-  
sióne nostri mácu-  
las cleménter abstérge,  
et ejúsdem tribue gau-

dére consórtio. Per Dó-  
minum nostrum.

### Ad Tertiam

**Capit.** Beátus homo,  
ut supra. 34\*

**R. br.** Amávit eum Dó-  
minus, \* Et ornávit eum.  
**Amávit.** **V.** Stolam gló-  
riæ induit eum. Et orná-  
vit. Glória Patri. **Amávit.**

**V.** Os justi meditábi-  
tur sapiéntiam. **R.** Et  
lingua ejus loquétur ju-  
diciúm.

### Ad Sextam

**Capit.** **Prov. 3, 16-17**

**L**ongitúdo diérum in  
dextera ejus, et in  
sinistra illius divítia et  
glória. Viæ ejus viæ pul-  
chræ, et omnes sémitæ  
illius pacificæ.

**R. br.** Os justi \* Me-  
ditábitur sapiéntiam. Os  
justi. **V.** Et lingua ejus  
loquétur judiciúm. Medi-  
tábitur sapiéntiam. Gló-  
ria Patri. Os justi.

**V.** Lex Dei ejus in  
corde ipsius. **R.** Et non  
supplantabúntur gressus  
ejus.

### Ad Nonam

**Capitulum** **Sap. 7, 7-8**

**O**ptávi, et datus est  
mihi sensus: et in-  
vocávi, et venit in me  
spíritus sapiéntiæ: et  
præpósui illam regnis et  
sédibus, et divítias nihil  
esse duxi in compara-  
tióne illius.

**R. br.** Lex Dei ejus  
\* In corde ipsius. Lex  
Dei. **V.** Et non supplan-  
tabúntur gressus ejus.  
**In corde ipsius. Glória**  
Patri. Lex Dei.

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas.  
**R.** Et osténdit illi re-  
gnum Dei.

### In II Vesperis

**Omnia ut in I Vesperis,**  
præter:

**V.** Magna est glória ejus  
in salutári tuo. **R.** Glóri-  
am et magnum decórem  
impónes super eum.

**Ad Magnif. Ant.** Au-  
stria, lætare, vere felix  
régio, quæ summis col-  
locátum princípibus lau-  
das Leopóldum marchió-  
nem piíssimum.

Die 16 Novembris

**De II die infra Octavam**  
**S. Leopoldi**

**Semiduplex**

**In II Nocturno**

Sermo sancti Joánnis  
Chrysóstomi

**Orat. de S. Philogonio,**  
tom. 3

**Lectio iv**

**B**eáti Leopóldi dies,  
cujus festivitátem  
celebrámus, ad ipsius  
recte factórum enarratió-  
nem linguam nostram  
evocávit, síquidem hódie  
beátus iste ad tranqúil-

lam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit: eóque navígiúm áppulit, ubi deinceps non póterit metúere naufrá-gium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens dicat: Semper gaudéte, sine intermissione oráte?

**R.** Dispérsit, dedit pauperibus: \* Justitia ejus manet in sáculum sáculi. **V.** Beátus, qui intélligit super egénúm et páuperem. **Justitia.**

#### Lectio v

**Q**uod si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calúnniæ, ubi invidiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insidiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum mundanárúm flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit: multo magis, postquam hinc demigráverimus, fácale cómpotes

érimus ejus boni, cum hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccánda matéria, ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram invéhens, innumeráque gignens bella.

**R.** Invocávi, et venit in me spiritus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus: \* Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illius. **V.** Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosíssimis. **Et divítias.**

#### Lectio vi

**Q**uam ob rem maxímopere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem reliquit, tamen in álteram adscriptus est civitátem, nempe Dei: et digréssus ab hac Ecclésiá, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cælis: ac relictis hisce festis, tránsiit ad celebratám Angelórum. Et enim quod et civitas sursum sit, et Ecclésiá, et célebritas, audi Paulum dicéntem: Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jérúsalem cælestem, et Ecclésiám primitivórum, qui conscripti sunt in cæ-

lis, et ad multórum míl-lium Angelórum frequéntiam.

**R.** Consummátus in brevi, explévit témpora multa: \* Plácita enim erat Deo ánima illius.

**V.** Propter hoc properávit illum edúcere de médio iniquitátum. **Plácita.** **Glória Patri.** **Plácita.**

#### In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

#### Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accipere sibi regnum, et revérti. Et reliqua.

De Homíliá sancti Bedæ Venerábilis Presbyteri

#### Unde supra

**C**ives autem ejus óderant illum. Cives, ímpios Judæos dicit, de quibus álibi protestátur: Nunc autem et vidérunt, et óderunt et me et Patrem meum. Qui non solum præsentem usque ad mortem crucis óderant; sed étiam post resurrectiónem ejus miserunt persecutiónem Apóstolis, et prædicatiónem regni cælestis spreverunt. Et factum est, ut rediret accépto regno. Significat

tempus, quando in manifestíssima et eminentíssima claritáte ventúrus est, qui eis húmilis appáruit, cum diceret: Regnum meum non est de hoc mundo.

**R.** Euge, serve bone, quia in módico fuísti fidélis: \* Eris potestátem habens super decem civitátes. **V.** Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi. **Eris.**

#### Lectio viii

**E**t jussit vocári servos, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Ut sciret, inquit, non quod eum quid láteat, cui veríssime dictum est: Dómine, tu ómnia scis; sed Sciret dicit, scire omnes fáceret. Tunc enim ómnium ópera et cogitatiónes palam ómnibus ostendúntur, quómodo in Deuteronomio: Tentat, inquit, vos Dóminus Deus vester, ut sciat si dilígitis eum, hoc est, scire fáciat. Nemo sane arbitrétur, eos solúmmodo, quibus grátia prædicánda data est, non autem et eos, quibus prædicátum est, ad júdicium tunc esse vocándos: ipsi sunt enim pecúnia, quam boni servi acquisiére mercádo.

**R.** Gloriósus apparústi inter príncipes Austriæ, sancte Leopólde;

ideo diadéma suscepisti de manu Dómini: \* Ora pro nobis ad Deum, qui te talem elégit. **V.** Constituit Leopóldum Dóminus principem et patrónum Austriæ. **Ora.** Glória Patri. **Ora.**

### Lectio ix

**V**enit autem primus. Primus servus, ordo doctorum est in circumcisiónem missorum, qui unam minam negotiátoris accépit, quia unum Dóminum, unam fidem, unum baptisma, unum Deum prædicare jussus est. Sed hæc eadem mina decem minas acquisivit, quia pópulum sub lege constitutum sibimet docéndo sociávit. Et ait illi: Euge, serve bone. In mó-dico servus est fidélis, qui non adulterat verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquitur.

Te Deum laudamus.

Die 22 Novembris

In Octava S. Leopoldi  
Confessoris

Duplex majus

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi  
Abbátis

Sermo 2 de S. Victore

Lectio iv

**G**audete in Dómino, dilectissimi, qui in-

ter continúa suæ pietá-tis beneficia indúlsit hó-minem mundo, cujus multi salvaréntur exém-plo. Iterum dico: Gau-déte, quod factus de mé-dio appropriávit Deo, ut multo plures ejus inter-cessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplum: in cælum levá-tus est, ut sit patrocínio. Hic infórmatur ad vitam, illic invitat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitá-tor ad opus. Bonus me-diátor, qui sibi jam pó-stulans nihil, totum in nos transférre desiderat et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fruc-tum: quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

**R.** Dispérsit, dedit pau-péribus: \* Justitia ejus manet in sæculum sæ-culi. **V.** Beátus, qui intélligit super egénium et páuperem. Justitia.

### Lectio v

**H**æc dies gloriósæ mi-gratiónis ejus, dies lætitiæ cordis ejus, ex-sultémus et lætémur in ea: introívit in potén-tias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hó-die Leopóldus pó-sito corpore, tanto alácrior, quanto expeditior penetrávit in sancta, similis

factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accipiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúm-phus, miraculis glorió-sus: sedet veteránus miles, débita jam suavité et securité quíetus; se-cúrus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O vene-rándam étiam ipsis An-gelis sanctitátem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgi-tant, et fréquentant boni. Nec fá-cile dixerim, quid virum ástruat sanctió-rem, horum favor, aut pavor illórum.

**R.** Invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus: \* Et divitias nihil esse duxi in comparatióne illius. **V.** Mélior est enim sapiéntia cunctis ópibus pretiosissimis. Et divitias nihil.

### Lectio vi

**O**mnes emérite, qui christiánæ militiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem com-mutásti! respice ad im-bécilles et imbecilles com-militónes tuos, qui inter

hostíles gládios et spiri-táles nequítias tuis láudi-bus occupámur. Quam píum, quam dulce, quam suáve, o Leopólde, in hoc loco afflictiónis et in hoc corpore mortis te cánere, te cólere, te præ-cári! Nomen tuum et memoriále tuum favus distillans in lábiis captivórum; mel et lac sub lin-gua eórum, qui tui me-mória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcís patróno, advocáte fidélis, exsúrge in adju-tórium nobis; ut et nos de nostra ereptiõe gau-deámus, et tu de plena victória gloriéris.

**R.** Consummátus in brevi, explévit témpora multa: \* Plácita enim erat Deo ánima illius. **V.** Propter hoc prope-rávit illum edúcere de médio iniquitátum. Plá-cita enim. Glória Patri. Plácita enim.

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii  
secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiònem longinquam accipere sibi regnum, et re-verti. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi

Liber 2 Quæst. Evang.  
quæst. 46

**R**égio longinqua, ecclēsia Gēntium usque ad fines terræ. Reverti se tamen dicit: abiit enim, ut plenitudo Gēntium intraret: revertetur, ut omnis Israël salvus fiat. Per decem mnas legem significat, propter decalogum; decem autem servos, quibus sub illa positus gratia prædicata est. Sic enim intelligendum est eis datas mnas ad usum, cum intellēxerint, eam ipsam legem, remoto velamine, ad Evangelium pertinere. Cives ejus, qui post eum miserunt legationem, dicentes, se nolle ut regnet sibi, Judæi sunt, qui prædicationem Evangelii respulerunt.

**R.** Euge, serve bone, quia in modico fuisti fidelis: \* Eris potestatem habens super decem civitates. **V.** Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi. Eris potestatem.

Lectio viii

**Q**uod autem servi redentes rationem, ex eo quod acceperant, laudantur quia lucrati sunt;

significat, eos bonam redere rationem, qui bene usi sunt eo, quod acceperunt ad augendas divitias Domini, per eos qui credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo significati sunt, qui mnas suam in sudario servavit. Mensam, cui danda erat pecunia, professionem ipsam religionis accipimus, quæ tamquam publice proponitur ad usum necessarium salutis.

**R.** Gloriosus apparuit inter principes Austriæ, sancte Leopoldus; ideo diadema suscepisti de manu Domini: \* Ora pro nobis ad Deum, qui te talem elegit. **V.** Constituit Leopoldum Dominus principem et patrum Austriæ. Ora pro nobis. Gloria Patri. Ora pro nobis.

Pro S. Cæcilia Virg.  
et Mart.

Lectio ix

**C**æcilia, virgo Romana, nobili genere nata, a prima ætate virginitatem suam Deo vovit. Sed cum invita nuptui data esset Valeriano, huic persuasit ut ipsam illibatam relinqueret, et ad beatum Urbanum Papam iret ut, accepto baptismo, dignus fieret qui Angelum Cæci-

liæ protectorem videret. Quod cum Valerianus obtinisset, fratrem suum Tiburtium convertit ad Christum, ita ut ambo paulo post sub Almachio præfecto martyrium subierint. Cæcilia autem ab eodem Almachio comprehensa, quod illorum facultates in pauperes distribuisset, in balneo comburi jussa est. Sed cum flamma eam attingere non auderet, ibidem securi ter percussa, et semiviva relicta, post triduum virginitatis et martyrii palmam est consecuta, et in cœmetério Callisti sepulta. Ejus, et Urbani ac Lucii Pontificum, Tiburtii, Valeriani et Maximi corpora, a Paschali Papa primo in Urbem translata, in ecclēsia ipsius sanctæ Cæciliæ nomine consecrata condita sunt.

Te Deum.

Et fit Com. de S. Cæcilia.

Die 27 Novembris

S. Virgillii

Episcopi et Confessoris

Simplex

Oratio

**D**a, quæsumus omnipotens Deus: ut beati Virgillii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat

et salutem. Per Dominum nostrum.

Lectio iii

**V**irgilius, in Hibernia nobili genere ortus, ab infāntia litterarum studium cum omni pietatis officio sedulo conjungens, cunctos ad sui admirationem traducēbat. In Franciam deinde ad incrementum fidei profectus Pipino regi carissimus fuit. Cumque jam virtute et scientia fulgens tamquam lucerna ardens et lucens candelabro imponendus videretur, Salisburgensis ecclēsiæ episcopus creatur; quo in munere taliter se gessit, ut optimi parentis loco ab omnibus haberetur. Basilicam Salisburgensem a fundamentis, nec sine miraculo obstruxit, cum non plus pecuniarum et pelvi ad solvendam mercēdem exposita operarii possent accipere, quam cujusque labor et opera postulabat; ac in eam sancti Ruperti antecessoris sui reliquias honorifice transtulit. Virgilius tandem assiduis laboribus senioreque confectus, cum ecclēsiam sibi creditam summa cum pietatis laude parique animarum fruc-

Festa Novembris (27)

tu administrasset, misso in Carinthiam Modesto eximia sanctitate episcopo, in caeli sedes recipitur. Quem miraculis clarum Gregorius nonus in

Sanctorum numerum retulit. Ejus corpus in ecclesia Salisburgensi a se constructa honorifice aservatur.

Te Deum laudamus.



pectui  
neque  
Deus,  
illa  
injuri  
enim  
ejecce  
st in  
cala  
a est  
ls igit  
uxo  
lamu  
ad  
a, ut  
ege  
d an  
oristi  
unque  
nellia  
nenas  
a in  
accen  
adrem  
ut di  
atanti  
i ra  
a hu  
suo

illiam.  
am  
De  
lati  
verita  
linem,  
torea.

mil  
esimo  
omero  
as  
robo

**Index alphabeticus**

	pag.
Adalberonis Ep. et Conf., dupl. maj. 6 Oct.	5*
Dedicatio Ecclesiarum consecratarum Diocesis, excepta Cathedrali, dupl. I class. cum Oct. communi. 16 Oct.	12*
— De VI die infra Oct., semidupl. 21 Oct.	15*
— De VII die infra Oct., semidupl. 22 Oct.	16*
— Octava, dupl. maj. 23 Oct.	16*
Leonardi Conf., dupl. 6 Nov.	21*
Leopoldi Marchionis, Conf., Patroni principalis Austriae, dupl. I class. cum Oct. comm. 15 Nov.	22*
— De II die infra Oct., semidupl. 16 Nov.	35*
— Octava, dupl. maj. 22 Nov.	38*
Maximiliani Ep. et Mart., Patroni principalis Diocesis, dupl. I class. cum Oct. communi. 12 Oct.	8*
— De V die infra Oct., semidupl. 16 Oct.	9*
— Octava, dupl. maj. 19 Oct.	12*
Notburgae Virg., dupl. 13 Sept.	3*
Reliquiarum sacrarum, dupl. 5 Nov.	19*
Valentini Ep. et Conf., dupl. 29 Oct.	16*
Virgilli Ep. et Conf., simpl. 27 Nov.	42*
Wolfgangi Ep. et Conf., dupl. maj. 31 Oct.	18*

de devotionem nobis digne  
partem ministratum fac  
notanda sollemnitas et  
sana sibi credidit sum  
tui aique Pontificis ve  
que contextus cum eccl  
deat Virgili Confessoris  
potens Deus: in  
quibus omni  
reliquias honorifice trans  
Riperti antecessoris su  
Simpli  
episcopi et Confessoris  
2. Virgili  
die 27 Novembris  
Te Deum.